ELOGIUM

FÆLICIS FATI BRITANNIÆ,

Sub auſpiciis

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

GULIELMI III.

Mag. Brit. Franc. & Hyber. REGIS;

EXERTI

A Supremo Gentis Senatu.

UT ET

In *Hybernicam* REGIS *Expeditionem*

LYRA

Concinnata

â Thomâ Ramſæo Lituanô Theol.

Tacit. An. l. 3. n. 55.

Rebus cunctis, ineſt quidam velut ORBIS, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.

LONDINI,

Impenſis Authoris Anno MDCXC.

Harvard College Library
In memory of
Lionel de Jersey Harvard
Class of 1915
December 15, 1932

GULIELMUS TERTIUS REX.

Ἀναγραμμ:

TU ERIS, MEL, LUX ET GIRUS.

Quid *Tertius Gulielmus* eſt futurus?
MEL, LUX, GIRUS ERIT, Tibi conanti!
1 *Sam.* 14. 27. 28. 29. 45. Tu tantum JONAI Æ memento Lector,
Aç *Boſcæ* ſcopulos, jugumq; *Sænes*
Dirîs poſthabitîs; *Dedi medullam.*

Aliud Anagramma.

SURGET LEX, TELUM JURIS.

Nuper ut auratum gradiens *Aſtræa* per axen,
Sub pedibus Numen cerneret eſſe ſuum,
Indignata diu; Nunc inquit *Terra* peribit
Inq, *Suum* recidet perfidioſa *Chaos:*
Cur ita? de ſuperis reſpondet *Jupiter*; Atqui
SURGET LEX, TELUM JURIS, in *orbe* citò!
Poſt quatuor, Tyriô cultû ſplendebis, ariſtas,
Et fœlix *Terrarum* incola, rurſus eris!
Cunctantemq; *Deam* cernens, dimiſit ad *aſtra*
Illa, *in queis* digitô *Regia fata* notat,
Inquit, ibi *Nomen* quæras, Anagramma *quod* illud
Continet, Invenies vel ſine Sphinge λόγον!
Omnem, *Diua*, poli chartamq; ſtylumq; pererrat
Quærens *occultum* Numinis *indicium:*
Litera transfertur, ſeriem ſibi *Syllaba* nectit,
Qualiter in *Tummim Urimq;* fuiſſe ferunt:
Exiit ut *Nomen*: plaudens ait, *Arva* reviſam,
TERTIUS *ubi Anglis* REX GULIELMUS erit.

BRI-

BRITANNIÆ
SUPREMO SENATUI
S. & O.

A Pophthegmaticum hoc Xeniolum, *felici Fato* REGIS & GENTIS BRITANNIÆ ſacrum, e tholis veſtris appenditur, PATRES CONSCRIPTI. Neq; enim præterire vos poterat, quorum ſaluberrimis conſiliis, PROVIDENTIA, ſui circa Britanniam moliminis, e-ventum conſequitur. Simplici quidem actû præfini-verat ILLA, quæ hodie cernuntur: quia tamen, pro *inſerta* Mobilibus *Serie* ſingula tranſegit; VOS, qui triſtia eluctati, præſentem *Britanniæ* fortunam, ſuaviter, prudenter, utiliter temperatis meritò, *Supernæ Rationis* calculum poſuiſſe dicemini.

Et ſane, quis vel ipſô ſaventioris Periodi crepulſculo, hoc jubar ſperaſſet, quod jam in Britannici Olympi convexo diffunditur? quis non metuiſſet receſſum? niſi VOS, tanquam totidem JOSUÆ, injectâ veluti manû Horizonti, inclamaſſetis; *SOL ſiſte in Gabaon, & LUNA in valle Ajalonis*!

Quam autem huic *Voci* morem gerat *Providentia* (quæ *fata ſemel* ſcripſit, *ſemper* ſequitur.) coarguit, expetita toties, ac demum parta *Securitas*: coarguit hoſtium (quicquid obtendatur.) *formido*, et geſtiens, tanquam in ſumma votorum, melioris luti *Btitannus*; haud pendens animi, quid CLANGOR veſter, caſtris *Iſraelis*, quid *Jerico* mæniis præſagiat. Nunquam, adeò unanimiter arreptum, adeò fortiter defenſum, adeò ſtudioſè cultum *Reipublicæ & Religionis* PALLADIUM! nunquam, vel innocentiori, vel tu-

 tiori

tiori SANCTUARIO commissum; præcipuè sub Clementissimorum REGIS & REGINÆ auspiciis; QUOS non modò (.fallax sæpè.) thorus, sed insuper animus, sed ejusdem fidei amor, in eandem solicitudinem univerunt: QUI, Majestati modestiam attexentes, & proscriptô omnî mimô, sinceram Virtutem amplexi, justô tranquilloq; imperiô, REGNI & ORTODOXIÆ habenas, sublatis dissidiis, moderantur.

Et VOS adhuc aliquis, sub his Coronatis Capitibus (.tanquam tot, majores minoresq; in *Automato* orbes, sub *Determinatoris* vibramine, vî *ponderis æterni*, debitè decurrentes.) *fati* Britannici manus, & abditæ olim *Providentiæ Documentum* ambigeret? Absit P. Conscripti!

VOS, VOS inquam, sub SERENISSIMIS REGE & REGINA, ad consumandum, propitii Numinis effatum, præordinati fuistis! VOS, alterâ manu extruitis muros Hierusalem, alterâ tenetis gladium! In VOBIS, DEUS est, domi *Princeps pacis*, foris *Vir belli*; ut hoc pacto, & apud Penates, cuncta in quietem componantur, & è *fortuna vestra*, aliquid emolumenti accrescat, afflicto τῆς διασπορᾶς *Israeli*; haud propriô *moliminè* sed *fatô* vestrô, sua solatia metienti.

Accipite igitur P. C. quod vestrum est, & quod, (.an aliquid cultûs præferat, ambigo; tamen.) â vestra alacritate, fide, constantia, ac Votorum concentu, nullatenus dissonum, offertur ab illo, qui suô & *Lithuanicarum* (.ad quas contendit.) *Ecclesiarum* nominê, clientelam vestram, enixiori studio deposcens, mansurus est ad sui fatum

P. C.

Amplitudini Vestræ

Lond. ex. Musæo
VI Kalend. Apr. 1690.

deditissimus

Tho. Ramsæus.

Præfatio Valedictoria

AD

BRITANNOS.

DElicіæ PALLADIS MARTISq; BRITANNIA! Penates Tuos, ultimâ veneraturus pietatê, *fato* Tuo, *(.mei*, ad quod trahor, ignarus.) Apophthegmaticum hoc *Eucharisticon* dicavi. Debebatur aliquid nomini *Tuo*; *quæ* me, derelictum, in sinum tuum recipiens, per aliquot lustra, benignè fovisti; & etiamnum fecisses, ni â Tuis faventioribus *fatis*, me *mea* avellerent. Quæ, qualiacunq; futura sint, duo *me* pulcherrima comitabuntur, Natura communis & propria Virtus; *conaturum*, in natali *fumo* explicare, quod in Tua *claritate* non licuit.

In hac porro lucubratiuncula, nullas palato Tuo struxi insidias; sed, quæ ordo temporum, collatio exemplorum, reiq; Momenta paraverunt, citra mellitos globulos, & papaveris aut sesami aspersionem, tanquam *Augusti* * cibum, masculè ruminanda appono. Et sane, grandia *tractantis*, oportet, non verborum tumorê, sed gestorum gerendorumq; pulchritudinê, ad pondus *Majestatis* inclinet *Oratio*. Cordatè igitur *(.*qualiter offertur.) hunc amplectere, Materiæ potius quam ingenii impetum.

* *Vide Suet. in vit. Aug. n. 76. facta allusione ad nomen.*

Cæterum, VALE indulgentissima BRITANNIA; & abeuntem, sive Inquilinum, seu si mavis, sub peregrino quidem climate prolectum, Tuum tamen sanguinem, tanquam *bis Mater*, votis & amorê prosequere!

Si

Si autem oblitus Tui fuero, obliviſcatur mei dextra mea! Adhæreat lingua palato meo, ſi non poſuero *Hieruſalem Tuam* in principio lætitiæ meæ! Sit pax in turribus Tuis, & abundantia in palatiis Tuis: propter fratres & amicos, propter domum JEHOVÆ Dei noſtri, pax Terræ Cœliq; ſuper TE mæniaq; Tua quieſcat. Sit Optatiſſimus REX TUUS GULIELMUS, inſtar Gigantis procedentis ad prælium; ante, Rerum natura, quam IPSI, limites deficiant! Sit Caſtiſſima REGINA TUA MARIA, ſicut Vitis abundans in lateribus domus ſuæ: proferat novellas olivarum Pacis, & *Maria* benedictionum *Sionis* in TE latiſſime effundat; ut â blandiſſimo *fato* TUO, arefactus labansq; cum alibi tum in no-ſtra Lituania *Iſrael*, Vigorem & Statumen mutuetur ac recipiat. *Amen.*

Fœlix

Fœlix Britanniæ Fatũm.

Quiſquis
occulô irretortus
Momenta BRITANNICI *fati*
è rationis lance appenderit,
fatebitur
Veritatem, in Templa:
Æquitatem, in Forum:
Libertatem, in Regnum
deſcendiſſe
GULIELMI HENRICI REGIS
ß. libraminê.
Cum Enim
Tripertitus *Albionis* ordo
lamentaretur
Acciſas *immunitates*:
Extorrem *Aſtræam*:
Procultata *Urim & Thummim*;
HUJUS ADVENTU,
feralis undiq; *Facies* evanuit!
Quam quidem *duxerat*
honeſtum *Populi* obſequium;
Quando *faſces*,
fortunam, non *judicium* ſecuti,

Quos

quos *parere* ſenſerunt, *ſervire* cupiebant
&
tanquam ex facili tolerantibus,
graviora imperare.

2. *Jamq;*
De ſummis Papaverum capitibus decerni:
Fulgidiſſimis Infulis, atrior caligo induci:
In jugulum Themidis, propria tela expediri:
Cadmei fratres, Matris viſcera erodere:
Et Cucullus, duplicatô fætificare nixu!

4. *Interea.*
nitebat ex Pertica
ſplendidus CONSCIENTIÆ galerus,
majoris anſa ſervitutis
(. Neq; enim,
privatim degeneres,
in publicum exitioſi,
aliquid *Libertatis*, niſi per ſimulationem pollicentur.)
Ut quoquomodo ſubverſâ
ECCLESIA ANGLICANA
facilùs ſeviretur in *Reliquos*;
quorum pauci
ſibi Suffeni,
Purpuræ amicitiâ efferebantur:
in *qua* tamen
Speciem non *vim* tenuerunt!
Nam ſi retroſpexiſſent
Dogmata, Decreta, Exempla, Fulmina,
VATICANI MONTIS:
Occurriſſet illud;
Haud licet, irrita, cuiquam,
Facta DEI, feciſſe DEO!

4. *Ut advertit*
cæptis lenocinari fortunam
AUSONIA;
ſatagens,
mutandi Imperii pondus

Romanô

Romanô fulcire tibicinê:
&
Certiſſimum REGUM Sanguinem:
Rerum inclinantium tutamen:
Unicum Orthodoxiæ præſidium,
amoliri,
Concipit! id deèrat. ſimulataq; pignora, falſo
Fert utero.
Per ludibrium
Conſulti Antiſtites:
Nuncupata Vota:
Imperata Oratio;
paucis interpretantibûs,
REFORMATORUM PRECES,
niſi in nefaſtis deſpecturi haberi,
ab HOMINIBUS
qui ipſam *Eorum* fidem, in flagitiis poſuerunt.
Olim, olim!
SIBYLLA
in mimum compoſitis præludiis,
citra JOVIS LUCINÆVE Numen
Imperio deſtinarat
quempiam ARIARATHEM * * *Similitudo quædam ſumitur ex Valer. Max. l. 9. cap. 15. extern. 2.*
ê propriæ *Sorriculæ* folio,
invitis veluti *fatis*
etſi *Hæc*,
deſignatum, interea, *Principem*
occulte impetitum,
latentium cauſarum nexû
occulte tuerentur.
Itaq;
præſentium RECREATA gelaſinô
(. *Cauſa tanti mali Conjux!*)
tutiſſimum duxit, quod *avidiſſimè* cupiebat.
Solent!
Fortunam mutaturi,
Conſilia corrumpere,
ut quod *casù* accidiſſe putatur, *merito* eveniat.

Quippe
cedentê affectibus PRUDENTIA,
Pars magna, EVENTIS erudimur;
Sortis futuræ, nisi rem impendit, securi.
6. *Adultis porro vitiis*
& grassantê undiq; fastû;
tot cladium superstes
SINCERIOR NOBILITAS,
prudenter ante speculata,
in hujusmodi,
Incuriam, esse *Calamitatis* Theatrum,
exeruit,
in *acerbissimo* discrimine, *acerrimam* Virtutem,
Omnêq; accepto a PRINCIPE,
& sub ILLO
susceptîs *Populi* fatîs,
adhibuit
Inculpatæ Tutelæ Moderamen,
7 *Quô*,
compita personantê
Qui olim *singulos* terrebant, jam *cunctos* metuerunt:
Neq; mora,
Quantum quisq; timuit, tantum fugit:
fortunaq; usi,
diu prosperè, rarò benè,
sero agnoverunt
Momentum horæ interesse, inter solium & aliena genua!
Præsignate id Numine,
cum SOL, in LIBRA
(æterni Judicis feciali *)
diê, sibi sacrô
REGIS JACOBI natali,
liquidô ac puro serenô elanguit,
Laborem *Ei* portendens
Cujus erat Horoscopus.
Ea scilicet sunt
DIVINITATIS OPERA!
ut furiîs, in ipso successu plaudentibûs,

* *Judæi arbitrantur judicii diem futurum sole existente in Libra, quo tempore etiam celebrant, Jom kippur.*

Subita

Subita impendeat ultò;
quominus destituatur
Timorë, immanitas,
Spê, calamitosa Virtus.
In hoc rerum proscenio 8.
Non erat *quærendus* qui legertur, sed *legendus* qui emineret
jure suò & *meritò*.
Qui
ad tutandum BRITANNIÆ decus,
posthabitis
Ætheris minis
Oceani ferociâ
Martis aleâ
Vitæ discrimine
VENIT,
VIDITq; & COMPESCUIT
Impotentiam;
Verbò
MAGNUS GULIELMUS HENRICUS!
Qui proinde
(.dirigentê Rerum Arbitrò.)
unanimi PROCERUM consensû,
Amoris in suos
periculi in molimine
pretium tulit
DIADEMA;
Cujus ambitû,
esti cingatur, HÆRES pariter atq; CONSORS
SERENISSIMA REGINA
MARIA
(.cujus, supra invidiam Virtutes, sacrô silentiô veneramur.)
tamen,
maturò SUPREMI SENATUS judiciô
GULIELMUS HENRICUS
Solus pronunciatus est, moderandi clavi Arbiter.
Enimuero,
& belli & pacis Triumphos
promptius assequitur,

qui
roborê, consiliô, militiæ gloriâ,
clementiæ temperamentô, cæterisq; regiis virtutibus
exuberat.
Et profectò!
quæcunq; sit *consulendi*,
ea *imperandi* conditio est,
ut non aliter *ratio* constet, quam si *uni* reddatur.
HIC jam,
Qui, fortes, utrinq; manus, a mutua cæde continuit:
Incruentam præstitit Civitatem:
Res, sine manifesta discordia transtulit,
quam *augusto* effulget vultû!
explicans
Sanctitatem, Domi:
Firmamentum, in Regno:
Fortitudinem, in Armis;
In singulis Prudentiam;
ut ambigas,
Bellicis magis operibus, an *civilibus* artibus sufficiat!
Sopitus circumquaq; furor:
Restituta vis, legibus:
Judiciis, Authoritas:
Senatui, Celsitudo.
Ecclesiæ, nitor & Solatium,
Ubi, *imprimis*,
prudens moderandi,
inhibuit
in eodem *Matris* utero, *gemmellos* contendere,
gnarus,
Contra *binas* hasce, *validas* gentes,
nil pro *adversariis* utilius,
quam quod in medium non consulunt:
Scitum enim est
Divide & Impera!
& effecit
ut crederent
Fas esse, privata odia, publicis utilitatibus remittere.

Si

Si
extra pomœria positos respexeris:
Lentô adjutoriô, in malis continuis utitur,
quod *censeri nolit*
gravior *remediis*, quam putantur *delicta*
(Peccant enim remissæ, nec minus rigidæ manus!)
&, *videri malit*
invenisse mites, quam *fecisse*.
In universum æstimanti,
Nec plus sperari potuit, nec spei responderi felicius!
FACESSAT JAM 10.
tumens supra humanæ sortis habitum
LODOVICUS!
LUDO VINCENDUS,
Cujus rei
Si in media nos fatorum pignora misertimus
imprimis
GULIELMUS HENRICUS,
dabit
exnumero, auspicia:
ex nomine, Omen.
Enimuero,
HENRICUS ANGLIÆ OCTAVUS
LUDOVICUM GALLORUM,
Victricibus armis imbecillitatis suæ admonuit:
Id,
capta TERONAVA in Morinis,
expugnatum TORNACUM in Neruiis,
profligatus TERRIBILIS exercitus,
erepta omnia alarum SIGNA
abductus summus ROTELINUS (*&c.*)
affatim Loquuntur;
NOSTER SERENISSIMUS HENRICUS
REX ab ILLO
nominê, & numerô *consumatissimô*
NONUS
Similiter LUDOVICUM
parî, fatô aggreditur;

avide

avide ſe *de novo* exerente
antiquâ ANGLORUM Virtutê,
militaris inſtituti Vigorê,
& juratâ contra *Allobroges* ſimultatê;
tantò ſperatiorê ſucceſſû
quanto cauſa præſtantior.
Ut ſub hoc involucro lateat,
in HENRICO, Victor,
in GULIELMO, Acquiſitor:
β *Præcipuè*
quod *Imperatorius* ſanguis
GERMANICUS & BRITANNICUS
alter & idem
in venas Ejus invexerit
ad capienda arma, animum:
ad tractanda, dexteritatem:
ad explicanda, fortunam:
γ *Prælucentibus*
huic *Themiſtocli*
tot *Miltbiadum*, haud precariò adſcitis *Trophæis*
quorum recentiorem ſeriem
in GULIELMIS, HENRICIS, FREDERICIS, CASI, MIRIS,
(ut complectar,
multa paucis,
magna exiguis.)
Centum non interrupti Soles,
ſurgentes cadenteſq; numerarunt.
δ. *Alterum quoq;*
Nobile *Britanniæ* latus,
Athletarum fœcunda Mater
CALEDONIA,
dirutâ SEVERI maceriê
GALLORUM,
non ante-murale,
ſed
terror futura,
ut pridem,

JA-

JACOBI SEXTI,
ita jam,
GULIELMI PRIMI
geniô,
moderantê Supremo Senatû
in idem cum ALBIONE ſtudium effunditur.
Licet autem
HYBERNIA
(Uſq; adeò nulla eſt ſincera voluptas,
ſollicitumq; aliquid lætis intervenit!)
in præſentia
ponderê Celtitô,
per aſtum & violentiam prematur,
brevi tamen
Sociam dextram protendet,
â gemitu, ad tripudia, evocatura *Barbyton*!
Ut tot Nationes
legibus & *inſtitutis* invicem abeuntes
pariter in *obſequium* affurgant;
Facies non omnibus *una*,
Nec *diverſa* tamen, qualem decet eſſe *ſororum*!
ζ *Neq; deeſt*
tam ſublimi ac bellicoſo PHILLIPPO
Epaminondas Schombergius,
qui
Virtutem, arti,
Artem, Virtuti permiſcens
& LUDOVICI arcana,
& dictum GULIELMO Sacramentum,
ex æquo intelligit:
Cui juncta
tot alia Mavortia capita
Videas,
felicitatê & animô parî
hoſtium veſtigare lacertos,
quoad juſtis trophæis, locum dies aperuit.

Viget

Viget etiam,
fortiſſimus Talaſſiarcha
Arthurus Herbertus Torringtonius
vel ſolô nomine terribilis.
Cui,
pluſquam Adriaticô deſponſa annulô
AMPHITRITE,
ſinum ſuum præbet,
REGIÆ fortunæ:
Britanniæ gloriæ:
Epibatarum Virtuti:
Hoſtium Cataſtrophe,
Theatrum.
Super autem
faventiſſima Omina:
Regiam naſcendi ſortem:
Subditorum tremendum robur:
Et ſplendida miniſteria,
Fœdere GULIELMO *junguntur*
GERMANORUM *Aquilæ*
BELGICUSq; *Leo*!
Quæ animorum Vincula,
pridem formidavère *Celtæ*:
Et, quo minus coaleſcerent,
apertâ *Pandoræ* pyxidê,
omnem eò neruum intenderunt.
Nec immerito,
Enimuero
Quam, propriis nixa viribus, terribilis ſit hoſti, GERMANIA
è ſeculorum liquet monumentis;
ut
Orbis terrarum Imperatrix
triumphatam magis, quam *victam* fateatur!
Quam ſit LEO BELGICUS, juba formidabilis,
pulſata toties
invicta ſemper
Virtus ebuccinat!
Ambo autem,

cum

cum inclyta *BRITANNIA*
prompta manû,
ſuperba virîs,
& belli proventu inſtructiſſima,
GULIELMI HENRICI AUSPICIIS
ſub *cæleſti* ductu
Triplicatum, Sapientis *funiculum*, conficiunt;
Ad conſilium, ſententiâ
Ad ſecretum, conſcientiâ
Ad rem tutandum, pectoribus
indivulſi;
Scutum hæſit ſcutô, galea galeæ, atq; Viro Vir.
Nunc, I CELTA,
Et *Fatum*, dictîs illude ſuperbis!
Non jam ſeſe mutuîs afficiet cladibûs
BRITANNUS & BATAVUS,
neq; temeritati aliorum, ſuo diſpendiô litabit!
Quin potius
Sub Gellemo hoc Syderè,
tutæ victriceſq; ſulcabunt maria Carinæ,
clavum tenentê
VINDICE *Neptuni* GULIELMO;
Cujus honeſtæ cauſæ,
cum ſemper ſecundis eventibûs ornarentur,
tanquam *transferentis*
fortunæ officia, in Virtutum decus;
verendum non eſt,
quominus eadem numina, iisdem veſtigiis affulgeant.
Potiſſimum accedente Prudenti,
Bipertiti TOTIUS BRITANNIÆ *ſenatûs*,
qui
obſequiô in REGEM
amorê in Patriam
Zelô in Religionem
mutuo certantes,
gloriam, quietem, Statumen, moliuntur.
tantô fauſtiorê alitê
quod *Rectitudinis*, & *conſiliorum librationê*, *ſtabiles*,

nullô

nullô *ſuperpondiô* laborent:
quodq;
tot *Venarum* inſtar
ex eodem HARMONIÆ fonte,
cum in ſplendorem, tum in cenſum Majeſtatis
ſcaturiant.
Macte invictiſſima
Macte feliciſſima
BRITANNIA
in REGE *Tibi*,
in TE REGI,
gratulare!
Sub alis hujus *Aquilæ*,
Sub hac regnatrice *Lauro*,
tuta eris a fulmine!
omnemq; griphum, *de ſucceſſu*, evolues,
ſi omine,
a primo pavore ſumptô,
intuleris;
Amiſſa, *ne audeant*, *amiſſuros monere*:
&
præſentem contra TE nixum
Tuæ gloriæ
Illorum diſpendii;
materiem judicaveris,
dum extinguendo *fatali ſuo igni*, ſarmenta aggerentes,
Tibi ſplendorem
Sibi exitium
miniſtrant
DENIQUE,
poſt pacata omnia,
HUJUS STATORIS
&
REDIVIVI CONSTANTINI
potentiam
non aliter *ſ.nties*
quam aut *levatione* gravaminis, aut *acceſſione* dignitatis.

LYRA

LYRA

In Expeditionem REGIS Hybernicam.

ODE I.

Ad querelas Hyberniæ Britannia ſe concitat.

EHeu! *Hieræ*, Galla rapacitas
Inſedit *arvis*: Anglia, non pudet
Fratrum *Britannorum* videre
In Galatum, *pia colla*, loris?
Mæret bonorum *Turba* Quiritium,
Et *valla* celſis turribus inclyta
Dublinii; pictiq; *campi*
Perpetuô lachrymant *Lipheo*.
Auditis? Ut *Vox* littora *perſonat*
Altè *gementum*, perq; *Laginiæ*
Delapſa torrentes in Æquor,
Halitibus ruit usq; *Monam*:
Illic retuſo murmurê; Contumax
Per fracta pergit Marmora Nerei
*Echo*q; tot ripis, *locata*
Jam *Thameſis* ſpatiatur oris.
Quos ejulatus mittit ad æthera!
Ætnæa non ſic *antra* remurmurant,
Nec *ponte* Londini *moratus*,
Quando fluit refluitq; *gurges*.
Heus! Anne falſâ ludor imagine?
An? perſtrepentes compita vocibus
Cerno *Britannos*, & frequentes
Aſpicio coiiſſe turmas?
Audimus ajunt, *motus* Hybernicos!
Audimus, *Arces*, *Templaq*; Numinis
Direpta: quin *Fratrum* boatus
Per medias fluitare nubes;

 Fruſtra

Fruſtra ſed iſtud ſpargimus ad focos,
Et *Flemus*, Ipſi quos dedimus, *dies*:
Stringamus enſes contra Celtam!
(URBS mihi ſic fremuiſſe viſa:)
Fruſtra Parentum fronde tumeſcimus,
Olimq; REGES fruſtra, *Britanniæ*
Iactamus ultrici *Gradivô*
Allobrogum rapuiſſe ſigna;
Exacta canæ *Jacula* gloriæ
Narramus; *Ipſi* quæ mala! deſides:
Surgamus! haud ibunt *Britanne*,
Ambiguô, Tua tela, cælô.

ODE II.

REX iter Hybernicum meditatur.

ADUERTIT, *querula*, fletus Hybernicos
Ut ſecum recolit *voce* Britannia:
Advertit, *Thamêſis* mugiit ut, fluens
Præter limina Regiæ
GULIELMUS: Nebulam, ſub *Jove libero*
Objectam, *genitis*, ſollicitus diu
Tandem non potuit ferre diutius,
Nec *Regni*, mala, *tertii*.
Et mox! Non humiles, Virtus, inertiæ
Expers, edidicit carpere tramites:
Per celſa graditur; fixa pedes, ubi
Vel *Phœbus* trepidat metu.
Nyſæ, Liber agens *vertice* Tigrides,
Primò perdomuit legibus Indias:
Alcides, *Superum*, ſex geminis prope
Scandit *rura* laboribus.
Et nobis liceat fata retexere
Augendo intrepidè, *Martis* adoreas;
Dum *Mucro*, veterum poſt cineres, novi
Hoſtis, millia *computat*.

His

His dictis; Saliit fibra Britannica:
Ter visus populus plaudere gaudiô
Ter Nymphæ Thamesis: Tergaleas, frequens
Miles, stringere lanceis.
Posthæc pergit ovans; CURA, patentibus
TE circum vigilans (Argus ut) orbitis,
Æternas posuit REX Tibi laureas
Per vestigia gentium.
Certè, *Mosa* Tibi, *Rhenus* & *Amstela*,
Submissô, *facilis*, flumine labitur,
Assurgit placidè pontus *Ibericus*,
Montes *Helvetii* choros
Ducunt in media valle *Sabaudica*:
TE scit *Danubius*, *Cimber* amat, *Gothus*
Observat, Nimium Te *Rhodanus* tremit,
Acer *Treicius* stupet.
Laudari peperit *Vis animi* TIBI
Atq; una *metui*, sed super omnia,
A nostra *Thamesi*, jamq; Tua *coli*,
PRINCEPS consilii potens;
Tu, cum *Romulidum* gurges inhorruit,
Ad nos pacificis muneribus fluens
Compescis *rabiem*, proq; minacibus
Coris, das *Zephyros* salo.
Tu nunc percipiens & strepitum & minas
Celtarum, medios inter *Hyberniæ*
Campos, ad clypeum pergis, & igneô
Ensem corripis impetû.
I, Rerum COLUMEN! Iceler, intimis
Mulctes *invidiam*, & *perfidiam* ictibus;
(Feralis *Galatas* Buccina personet,
Formet præfica nænias)
TE protrita gemit tellus *Hieriæ*,
Suspirat tepido *Religio* sinû,
TE *Taurus* medio prospiciens polo
Ad se nutibus evocat.

ODE

ODE III.

REX Claſſe in Hyberniam traiicit.

JAm, nemus ſcandit ratium volantum,
Et ſoporatis mare tranat undis
REX ad *Huvernen*, propere canamus
Jo! Triumphe
Is ſimul Turmas, peditumq; nimbos
Fundet in Terram; *Galatas* domabit,
Induet ſævis, animoſus *Oetes*
Fræna Tyrannis.
Barbiton tanget gladio minaci,
Coget infeſtos ululare *Teugas*,
Plusq; *Romano* ſalitare coget
More, *Lupercos*.
Ito, certatim geminato pugnas
Angliæ Pubes; Meliore vento
Sulphuris nubes glomerato in hoſtem
Martis ahenô.
Mordeat durus Tua tela *Francus*,
Sentiat, fraudum retinens *Hybernus*;
Tu, fer antiquum, ſtudio recenti, ad
Sidera Nomen.
Certa ſub tanto Tibi ſunt trophæa
REGE: nil nutes! ſtatuere toto
Fata ſic cælo, DEUS et ſacratis
Scripſit in aſtris.

ODE IV. DITHYRAMBICA.

Ad Triunum DEI Numen pro Victoria GULIELMI III.

SUrge Numen, proterantur
Hoſtium proterva caſtra,
Mitte fulminis procellas
Tunde ſaxis congelatis,

Ut

Ut *Betoron*, Ammoræus, *Jos.* 10.
Inſtet *arvis* Galliglattum *ſic ſuis* conſortio.
Sit Liphæus, ut *Mageddæ*
In Jabini ſtrage *lympha*, *Judic.* 4. & 5.
Defluentem qui cruorem
Hoſtium, litet *peremptis*
Quas Hybernus auxit, *umbris*
Duplicatis quando centum non pepercit millibus.
Frange turbam conglobatam
Contra TE, frangas furentes
Allobroges, Iſraeli
Jam macella præparantes,
Tu niſi potente dextra
Impiis his ſanguiſugis *Armageddon* inſtruas.
At *Baraco Joſuaq*;
Magne JOVA, celſiorem
GUILIELMUM cinge vallô
Ignis; Eſto parma, currus
Eſto cornu, cujus aurâ
Diſſipentur, ad cadaver congregati vultures.
Quos ſequatur GUILIELMI
Fulgor enſis; Ut *Joaſi*
Prolis, hic cum *Madianem* *Judic.* 7.
Vertit in ſe; perq; montes
Perq; valles demetendo
Clanxit altè, *Giddeonis Numinisq*; *fugio*.
Pone *Principes* eorum
Sicut Oreb, ut Zebee, *Pſal.* 83.
Ut rotam plumamve pone:
Flammeis ventis fugato,
Donec acti per profundum
In cruore retrocedant ad relicta littora.
Tunc trophæa REX *Zebaoth*
Erigemus ex Magogi
Apparatu Martiali:
Cum MARIA Deborisq;
Eppinicium canemus
Geſtientes atq; læti *Tunc* TRIUNO NUMINI.

APO-

APOSTROPHE
REGIS GALLORUM
ad Britannos.

LUDOVVICUS DECIMUS QUARTUS REX GALLORUM.

Ανεχεαμ:

LUCRA, TUO RURSUS CEDAMUS GULIELMO, QUI DUX!

QUÆ *Mihi*, longa dies, & flagrans ardor habendi;
QUÆ, tumido cristis, aura secunda *dedit*
LUCRA; TUO RURSUS GULIELMO, *Magne Britanne*
CEDAMUS, *Tibi* QUI DUX, *Mihi* Terror erit.
Fata volunt! *Omen* dat, junctus TEUTO BATAVO,
Quodq; diu metui, junctus *utrq;* TIBI!
Proh dolor! *Artificis* tanti, cadet irrita *laurus*,
Suavitèr & *cantans*, comprimet ora, *Nero*?

ÆNIGMA
AD
LECTOREM
Delectamenti Causa.

MILO Crotoniates, dum silvâ fortè vagatur,
Conspexit cuneis, *Robora* fissa, tribus:
Moxq; cupit validam nixû divellere *quercum*;
Quæ, elisîs cuneîs, pressit utramq; manum
In sese revocata, *potens*. Nil *gymnica palma*
Prodest: Membra, patent dilanianda, feris.
Quis, *nunc* MILO? Refer! *cuneus* quid ternus? & *Arbor*?
Quidve *feræ*? Dixti! *Phyllida solus habe.*

FINIS.